

Hab. in arenis maritimis propè *Tingidem*. (Boiss. et Reut.)

Species propè *Th. hispidam* Roth. collocanda quæ quoque pappo 10 plumoso gaudet sed habet radicem annuam, indumentum setis rarioribus longioribus constans setosum nec breviter velutinum, achænia exteriora longiùs rostrata.

Th. Maroccana Pers. a pluribus auctoribus *Th. hispidæ* associata ab eâ evidentissimè differt stipite achænio quadruplò longiori, pappo ut in *Th. hirtâ* 15-20 nec 10-plumoso, achæniis exterioribus rectiusculis supernè valdè attenuatis, et insuper ligulis exterioribus extùs pilis strigosis præditis.

Th. tuberosa DC. achæniis brevissimè rostratis, pappo caducissimo e setis 20 et ultrà in annulum interse coadunatis constanti distinctissima est, et in *Th. hispidam* Roth. ut vult Cl. Mérat Ann. Sc. Nat. transire nequit!

PICRIS LONGIFOLIA Boiss. et Reut.

P. perennis, caulibus erectis virgatis tenuibus sæpè rubellis setulis patulis elongatis albis fragilibus sparsis obsitis foliosis supernè parcè ramoso-corymbosis, foliis radicalibus angustè lanceolatis longis acutis repando-subdentatis infernè longè attenuatis in petiolum eis æquilongum vel longiorem abeuntibus, caulinis brevioribus lanceolatis basi sessili minimè amplexicaulibus omnibus parcè setulosis, pedunculis vix incrassatis obsolètè striatis, capitulis parvis, involucri phyllis farinaceo-pulverulentis angustè lineari-lanceolatis acutis exterioribus paucissimis adpressiusculis dimidiò brevioribus, flosculis marginalibus subtùs purpureis, achæniis transversè rugulosis pallidè brunneis pappo niveo eis sesquolongiori terminatis exterioribus incurvis.

Hab. in dumosis *Sierra Nevada* in regione alpinâ circà *San Geronimo* (Reuter). Fl. Julio.

Bipedalis, folia inferiora cum petiolo 6-8 pollices longa 4-6 lineas lata, capitula eis *P. hieracioidis* minora. Ab eâ facilè differt radice perenni nec bienni, foliis angustioribus minùs dentatis longiùs petiolatis, caulinis nunquàm amplexicaulibus, involucri phyllis angustioribus exterioribus non squarroso-patentibus, flosculis marginalibus non coloribus, pedunculis non incrassatis, tandem indumento totius plantæ minùs aspero.